





9  
VIRVM  
NOBILISSIMVM ATQVE EXPERIENTISSIMVM  
GEORGIUM CHRISTOPHORVM  
PAPPELBAVM  
MEDICVM PRACTICVM  
ET  
SVPREMORVM IN ARTE HONORVM CANDIDATVM  
PVBLICE COMMENDAT  
EADEMQVE  
FONTICVLVM NATANTEM  
DESCRIBIT  
IO. ANDR. SEGNER D.  
FAC. MED. h. t. DECANVS.



GOTTINGAE,  
APVD A. VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.

2

UNIVERSITÄT  
 HONORARIUM  
 CANDIDATUM  
 UNIVERSITÄT  
 UNIVERSITÄT



UNIVERSITÄT  
 HONORARIUM  
 CANDIDATUM





**D**ubitaui, an vas pneumaticum describerem, inter  
 exercitationes physicas notis olim oblatum, e  
 quo, cum libere natat, fluidum profilit cuius  
 vis generis, a pressione eius fluidi, in quo natat. Pos-  
 sunt enim huius generis machinae ludicrae videri, ad  
 oblectandum fortasse comparatae, ab utilitate prorsus  
 vacuae. Verum & ludere interdum licet; & ipsi hi lu-  
 sus Geometras veteres eas aëris vires docuerunt, quas  
 physica disciplina ab hominibus ἀγνοοῦσιν post eo-  
 rum tempora occupata, obscura obliuio texit, elastici-  
 tatem aeris, fortasse & grauitatem Sic enim HERO  
 Alexandrinus, spiritualium lib. I, vbi de vacuo disputat,  
 ex COMMANDINI versione: \* *vi quadam accedente ae-  
 rem densari contingit, & in vacuorum loca residere, corpori-  
 bus praeter naturam inter sese compressis: remissione vero  
 facta rursus in eundem ordinem restituitur, ob naturalem  
 corporum contentionem, quemadmodum & in cornuum ramentis  
 & in spongis siccis, quae si compressa remittantur, rursus  
 in eundem locum redeunt, eandemque accipiunt molem: simi-  
 liter, si aliqua vi aeris particulae a se inuicem distractae fue-  
 rint,*

\* Graeca ita se habent: Διὸ καὶ πιλεῖσθαι τὸν ἀέρα  
 συμβαίνει ἐκ βίας τινὸς προσελθούσης, καὶ συνιζά-  
 νειν εἰς τὰς τῶν κενῶν χώρας παρὰ φύσιν, τῶν σωμά-  
 των πρὸς ἀλλήλα διλιθομένων. ἀνέσεως δὲ γενομένης  
 πάλιν εἰς τὴν αὐτὴν τάξιν ἀποκαθίσταται, τῇ τῶν  
 σωμάτων εὐτενίᾳ, καὶ δάπερ καὶ τοῖς κεράτων συμ-  
 βαίνει ξέσμασι καὶ τοῖς σπόγγοις, ὅταν συμπιπλη-  
 θέντα ἀνεθῆ πάλιν ἐπὶ τὴν αὐτὴν χώραν ἀποκαθί-  
 σταται, καὶ τὸν αὐτὸν ὄγκον ἀποδίδουσι ὁμοίως δὲ  
 καὶ ἐὰν τινὸς βίας γενομένης ἀπ' ἀλλήλων διασῆ τὰ  
 τοῦ ἀέρος σώματα καὶ μίζαν κενὸς παρὰ φύσιν γένη-  
 ται τόπος πάλιν πρὸς ἀλλήλα συντρέχειν.



rint, & maior praeter naturam locus vacuus fiat, rursus a se  
sele recurrunt. Quibus si addas quae LVCRETIVS habet,  
de rerum natura Lib. II. vix, opinor, in EPICVRI hor-  
tulis nata, qui eruditum illum pulverem, quo natu-  
rae opera obiecta sunt, parum attigerat; admo-  
dum prope ad inuenta de aere superiori seculo ac-  
cesse veteres,prehendes. Neque enim prorsus ad-  
curate HERO loquitur, quando aerem cum spongiis  
comparat vel cornuum ramentis, quae corpora, in ma-  
ius spatium distracta, coeunt per ipsam illam vim, per  
quam compressa, sese expandunt. Cum aer, de quo  
experimenta capere licet, quilibet maius perpetuo  
spatium adfectet: in minus spatium per elasticitatem  
suam se nunquam contrahat. LVCRETII autem lo-  
cus pulchrior est, quam vt truncatus minima sui  
parte debeat apponi. Ita canit:


- - - nullam rem posse sua vi

Corpoream sursum ferri, sursumque meare,  
Ne tibi dent in eo flammaram corpora fraudem:  
Sursum enim vorsum gignuntur & augmina lumunt:  
Et sursum nitidae fruges, arbuataque crescunt  
Pondera quantum in se est cum deorsum cuncta feruntur.  
Nec cum subsiliunt ignes ad tecta domorum  
Et celeri flamma degustant tigna trabeisque  
Sponte sua facere id, sine vi subigente, putandu' est:  
Quod genus e nostro cum missus corpore sanguis  
Emicat exultans alte, spargitque cruorem.  
Nonne vides etiam quanta vi tigna trabeisque  
Respuat humor aquae? nam quam magi pressimus  
altum  
Directa, & magna vi multi pressimus aegre,  
Tam cupide sursum euomit magis, atque remittit  
Plus vt parte foras emergant exsiliantque.

Nec



Nec tamen haec, quantum in se, dubitamus, opinor  
 Quin vacuum per inane deorsum cuncta ferantur.  
 Sic igitur debent flammae quoque posse per auras  
 Aeris expressae sursum succedere; - - - -



Eius ergo generis lufibus si & nostrum addiderimus,  
 veniam ab aequis rerum aestimatoribus facilem spera-  
 mus. Est autem nostrae machinulae ratio huiusmo-  
 di. Vas AB cylindricum fere est, nisi quod superior  
 basis paulum convexa fit, altitudo circiter aequalis  
 diametro baseos. Vndique clausum est, sed centrum  
 baseos superioris foramen habet minutum C, per quod  
 aqua profiliet; quod in tubum aperitur CD, firma-  
 tum ad superiorem basin in ambitu, apud inferiorem  
 basin in D patulum. Quae inferior basis & ipsa tu-  
 bum transmittit EFG, per sui medium, qui proten-  
 sus ad superiorem vsque basin in E, ibique apertus;  
 apud G in vas GH, desinit, altero AB paulo maius,  
 quod



quod apud H perforatum est. Ita constructo vasi appendetur pondus I hunc in modum. Per foramen H in vas inuersum infunde fluidum, quod proflire vis, donec pars eius AB repleta sit; tum illud conuerte. Effluet per H, si quid superfluum sit. Obdura osculum C, & vas demitte in fluidum, in quo natate vis, appenso aliquo pondere I. Id si vas adeo detrahat, vt quam minima eius pars emineat, recte est; alias vel augendum erit pondus I vel minuendum, donec id contingat. Quod ita repertum est pondus, pro iisdem fluidis seruandum. Hoc facto, si aperiat osculum C, fluidum, quod continet AB, profliet. Premit enim fluidum, in quo vas natat, aerem partis GH, eaque pressio per tubum GFE in aerem, qui supremum locum vasis AB tenet, propagatur. Vnde cum extrinsecus in osculum C aer minus elasticus agat, vi aeris inclusi praeualente, fluidum per C vtique profliet. Si, ad quamnam altitudinem? quaeras, intellige in superiore vase AB, postquam pars fluidi effluxit, reliquum subsedisse in KL, eiusque loco successisse in vas inferius aquam, idque repleffe ad MN. Ponimus enim in aqua natate machinulam, quin, vt reliqua promptius intelligantur, in AB quoque aquam inesse ponamus. Premetur ergo MN superficies versus superiora ab aquae altitudine ON, eaque pressio in superficiem KL propagabitur integra. Eadem ergo vi aqua in tubo CD, quae est in plano KL, versus superiora vrgebitur. Verum eidem plano KL cum, incumbat reliqua tubi CD aqua ad C vsque, cuius altitudo est OL, & cuius pressio pressioni ON opposita est; detrahenda ab hac erit. Quo facto sola relinquetur pressio LN, quae aquam apud C proflire cogit. Cum ergo in fluidis proflientibus altitudines sal-

rus



tus] proxime aequales soleant poni altitudinibus fluidi prementis, quo saltus efficitur: erit in nostra machinula altitudo saltus fere aequalis rectae LN, quae perpendicularis est inter superficies fluidorum in utroque vase: maiorque adeo initio, neque multo inferior altitudine integra totius machinulae; minor sub saltus finem, &, quae nondum ad longitudinem tubi FG accedat. Solent enim inprimis angustiores aperturae ab ea altitudine, quam fluidis profiliantibus Hydraulice praescribit, multum detrudere. Si leuius fuerit fluidum in AB, augetur altitudo saltus, pro ratione ponderis specifici fluidi ambientis ad pondus specificum eius fluidi, quod in AB continetur, quod facile perspicitur. Postquam omnis ex AB aqua profiliit, elabetur quoque aer cum sibilo, succedet in eius locum aqua, sicque machina praegrauata, submergetur; quod fieri ante non poterat, cum quantum aquae effluxit per C, tantundem fere ingressa ab opposita parte sit per H foramen. Hoc ergo postquam factum est, vel quando futurum strepitus indicat, comprehensum vas inuertendum erit, vt AB denuo plane repleatur, atque denuo conuersum postquam aqua superflua ex H effluxit, fluido, in quo natet, reddendum, eandem scenam lufurum, eandemque repetiturum, quamdiu patientiam adhibueris. Alium enim praeter spectaculi pulchritudinem eius vsum me nulum scire iam dixi: id vero vt redderem insolentius, aliquando feci, vt spiritus vini profiliret, eumque, prout saliebat, accendi. Posset tamen clepsydrae loco adhiberi, vtique in balneis, quibus cum vitur, solutionem esse animum conuenit. Facile enim arctando magis vel aperiendo foramen C, tempus, quo vniuersum vasis AB fluidum profilit, ad certam ho-



horae partem aptabitur. Sed nos ad rem maioris momenti, & cui scriptio haec potissimum destinata est, transeamus. Commendandus publice est, clarissimus atque experientissimus honorum medicorum Candidatus, nobis & per virum celeberrimum & per eruditionis specimen commendatus.

**GEORGIUS CHRISTOPHORVS PAPPALBAVM**

Tur chiegela Polonus.

Is Lipsiae ante octodecim hos annos, sub auspiciis virorum Illustrium PETERMANNI, SCHACHERI, WALTHERI, LÖSCHWITZII, operam medicinae dedit, tum in Russiam profectus, Chirurgiam primum exercuit, eademque lectionibus medicis Illustrium Professorum Petropolitanorum, & inprimis Celeberrimi GMELINI, in institutiones atque Aphorismos BOERHAAVII, itemque Chemicis sedulo interfuit, reliquum tempus omne lectioni optimorum librorum dedit, quantum ab aliis occupationibus superfuit. Castra enim Ruthenica per multos annos secutus, clinicam etiam praxim obibat. Itaque medicus euasit felix, prudens, exercitatus, nec irrationalis. Ei ut honores medicos deferret, cum Facultas nostra rogaretur, accepta, ut par fuit, rei, quam statuta promiscue non concedunt, venia, petitis annuere non dubitauit. Cum & inauguralis specimen, publice editum, in dignum collatos esse honores, & plane promerentem, testari abunde possit. Cui pro more, & ne quid solemniium defuisse videri possit, propempticum istud subiungere visum fuit. P. P. sub sigillo Facultatis d. 19. Novembris Anno MDCCCXLIII.





00 A 6274

ULB Halle

3

002 913 380



56

VD 18

Reha ✓







9

VIRVM  
NOBILISSIMVM ATQVE EXPERIENTISSIMVM  
GEORGIVM CHRISTOPHORVM  
PAPPELBAVM  
MEDICVM PRACTICVM  
ET  
SVPREMORVM IN ARTE HONORVM CANDIDATVM  
PVBLICE COMMENDAT  
EADEMQVE  
FONTICVLVM NATANTEM  
DESCRIBIT  
IO. ANDR. SEGNER D.  
FAG. MED. h. t. DECANVS.



GOTTINGAE,  
APVD A. VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.

